



*S. b*  
53 Sammelband





2.

Fd. 1690 <sup>a</sup>

HERMANNI von der Gardt

*Ad Clarissimum Virum*

PAVLVM MARTINVM  
NOLTENIVM,

Poetam Laureatum Cæsareum,

Philologum insignem,

*In Mosis*

Severissimi morum censoris  
historiam

*Genes. II, 18. 19. 20.*

De vocatis ab Adamo animalibus,  
in Bochartum

E P I S T O L A.

Editio secunda.

---

HELMSTADI,

Typis Georg. Wolfg. Hammii Acad. Typogr.  
A. M DCCV.

Consilium Mosis celsum , depin-  
gere, *Adami*  
*Judicio*, blandi commoda con-  
jugii.

1940 g 9094



## Clarissime Vir.

**Q**VAM volupe fuit, te nudius tertius vidisse, illis ipsis diebus, quibus superiori anno, solenni templi nostri Academici inauguratione, Te Poetam præclarum, eruditum, cui pauci in hisce nostris oris spiritu & ingenio pares, in solennissima panegyri creare ac celebrare contigerat. Eoque major ex memoria voluptas, quanto aptior tuo genio atque foro differendi materia; de carmine Teutonico, a juvene non indocto in honorem novi Vice-Rectoris, incliti Medici, ex historia Adami, præstantissimi Physici, derivato. Qvam blanda & peramoena tua confabulatio, qui non ex eruditorum vulgo, tetrico ore, sed fronte magis serena atq; exporretta, Mosen intueri didicisti. Te non fugit Moses, quem non fugis. Familiarius cum Mose, ut ille tecum, versatus, familiarius cum illo de rebus antiquis,

ab ipso scriptis, differere consuevisti. Non barbarus tibi Moses, quem multis in deserto annis videras, cuius os frontemque coram inspexeras, cuius nutum sermonesq; multos audiveras. Quam bene profecto agitur cum illis viris doctis, qui de Mosis rebus judicaturi, Mosis os non horrent, non frontem reformidant. Te felicem, cui Moses non hospes, non peregrinus, non molestus, non adversus, non invitus, sed probe cognitus & perspectus, imo familiaris. Sollicitus proinde tute de vulgi, & inter eruditos, opinione, *Adamum omnibus brutis, volatilibus & terrestribus, nomina imposuisse, naturae cujuslibet congrua*: Sollicitus inquam tute de hac re, num vestigia illius facinoris apud Mosen deprehendantur genuina, protu ingenio erudite disquisivisti. Eaque occasione historiam, quam in oculis habet *Judeorum vulgus*, Adamo tantum facinus conciliaturum, *Gen. II. 19. 20.* cupide, nec anfeliciter mecum ponderasti. Profecto, *Judeos* Mosen ignorare non mirum, qui, tametsi Mosen crepent & ostentent, inque coelum evehere videantur, eundem emonte ad castra reversum cum majoribus suis fugiunt & horrent. *Judeorum Doctores omnia*

omnia in Mose obvia in suæ gentis trahunt laudes, qvorum si nolit seqvi Moses, tamdiu vellicant, donec speciem ad minimum obsequii præseferat. Qvo affectu fascinati *Judeorum* plerique tantopere, ut Mosen suo plane obnubere malint velo, ne quis frontem intueatur, quam admittere ut torvum videat, gentique male precetur aut ominetur. Quare Moses plerumque alias plane hodie, quam fuit quondam, a suo genio remot<sup>9</sup> penitus, arte Judaica, quæ pro sueta vafricie Mosen fingit & refingit, donec lubidini ac gloriæ gentis vel invitus serviat. Ita sane operosissimi *Judeorum* sunt doctores, ut quocunque tandem colore, pingant, penicillo Mosis abusi, Adamum omnibus totius orbis animantibus, volatilibus & humi gradientibus, nomina, naturæ singulorum ex asse conformia, attribuentem ac proclamantem. Id quod tanto molimine plerique agunt *Rabbinorum*, ut memorent, Adamum tam exacte nominibus naturam cuiuslibet bruti expressisse, ut tota animantis vel maximæ molis, essentia pusillo nomine sit comprehensa. Ex quo magnifico Adami facinore asserere dein conantur *Linguæ Judaicæ* cum antiquitatem, dignitatem

ac maiestatem, tum pondus ac vim significandi inexplicabilem. Volumen compingerem, si hanc *Judæorum gloriolam*, genti, ut opinantur, singulari honori cedentem, ipsorummet verbis explicarem. Aliquo modo hoc jam levati sumus onere, a *Buxtorfio* præsertim & *Bocharto*, quorum uterque *fascinum Judaicum* vix ac ne vix quidem evitare potuit. Temere profecto, ut in multis aliis, *Judeos* imitati & cæco impetu secuti Christianorum non postremi. Ut commune tandem evaserit hoc *fascinum*, *verbis significantissimis*, *propriissimis*, totam omnium animantium naturam admirabili & inexplicabili brevitate *Adamum* expressisse. Ut quodlibet bruti proprium apud *Hebræos*, qui brutorum nomina ab Adamo imposita significantiora putent, quam *ipius* fuerat *Adami*, a Deo inditum, quod non nisi originem humi, qui ex humo natus, subindicat, naturam hominis plane non attingit. Oculatores *Judeos* ipso Mose, ipso que Deo, qui plus videant in brutorum nominibus, quam quod datum Adamo, animantium

mantium sane nobilissimo. Imo, si defere-  
re vim nominis *Adami*, a Mose subindica-  
tam, velimus, qui ex humo sit exortus, statu-  
ere que cum aliis, Adamum dictum a ru-  
bore vel venustate & pulchritudine, quod  
venustissimum sit animalium, nec hac sane  
ratione natura & essentia hominis expressa,  
nisi valde obscure & teste: ut invenustis-  
simum foret, in colore & venustate essen-  
tiam hominis, nisi forte venustissimi &  
mollissimi sexus, collocare. Quis quæso  
illos colores in Adamo penetraret? Caven-  
dumque sane, ne fucus fiat. Tanti est *Judeo-*  
*rum fascinum* & vana persuasio. Et ferri *Ju-*  
*daicæ ideæ* possent, modo non præ nimia  
acie mens hebesceret, & illorum impatiens  
fierent, qui illud non vident, *naturasque*  
*brutorum & avium in nominibus* nec hario-  
lando assequuntur. His judicii imbecilli-  
tas non debebat esse damnoſa. Quid enim  
reprehendam illos, qui se non videre nimis  
ingenue fatentur, quod nec vident ipsi, qui  
se videre jactant. Illi sinceri, qui imperitiam  
testantur, hi præfraſti, qui imponere aliis  
magno nisu velint, quod ipsi non capiunt,  
nec vident, nec animadvertisunt. Tute re-  
tius sapis, qui ultra Mosen sapere renuis.

Videre detrectas, quod Moses nec vidi, nec monstravit. Hoc miror, fas esse, in tanta studiorum luce, si modo lucem appellare fas sit, qui in tenebris palpamus, Mosen *cum Judæis* rapere quo nolit, Mosen ad edicendum compellere, quod effari veritas & religio vetent. Scil. hodierni seculi hic genius, si nolit ire Moses, quo jubetur, nec illi concedere, ut perget, quo tendit: Eundem obnubere, ne frons videatur aperta. De cætero, nos humiles & devoti Mosen obsecrabimus, velit pro sua humilitate, velo remoto, frontem, dum velimus, monstrare, & dum opus, os aperire infucatum, remque edifferere ut quaelibet gesta. In nostro sane argumento benignus & perquam facilis *Moses*, qui absque ambagibus negotium Adami, non tenue, sed maximi profecto momenti, dilucide, tametsi brevibus, commemoravit, *morum censor* gravissimus.

Scilicet secundo Geneseos libello, cuius initium cap. II. 4. *reconditam Adami historiam* pertexturus divinus scriptor, cum geminam ejus sedem notasset, adeoque recensuisset, Adamum ex illa regione, in qua conditus, transire jussum in vicinum Orienta-

entalem tractum, fœcundissimam terram,  
quam coleret & conservaret, omni, præter  
unum aliquod genus, victu indulto: Ad al-  
terum v. 18. digreditur momentum, *Adami*  
scilicet *conjugium*, illustrandum, ejusque di-  
gnitatem vindicandam. Qui namque tantis  
opibus affluentem, & optimis fructib⁹ fru-  
gibusque abundantem regionem, suæ cu-  
ræ commendatam, colere jussus erat, nec  
colere tantum, verum etiam *conservare*,  
auxilio opus habebat, apto, eoque conti-  
nuo & constanti. Idque non ex desiderio  
dunataxat *Adami*, pro summa rei quotidiana-  
næ necessitate, verum ipsius summi numi-  
nis sententia & decreto.

Quapropter memorabilem historiam con-  
jugii *Adami* concise consignaturus *Moses*,  
moribus Israëlitarum emendandis intentus  
prorsus, diuinam totius hujus rei gestæ  
originem, & conjugis ab Adamo quærendæ  
& comparandæ, tandemque ab eodem re-  
pertæ & obtentæ, fundamentum, irrefragabi-  
le diuinum oraculum, sollicite & apertissime  
præmittit v. 18. Adamo, inquit *Moses*, in  
regione fertilissima, omni proventu exu-  
berante, sic collocato, eoque in colenda &  
conservanda illa terra occupato, divina

providentia edixit, & pro rei necessitate definivit: *Non esse bonum aut congruum, Adamum*, pro tanta injuncta rerum confidendarum ac conservandarum cura, *existere solum*, sine auxilio & adjumento: Tanto labori solum illum haud sufficere, nec curaturum recte sua, nec quod maximum, preventum resve partas conservaturum, absque opitulante & subveniente manu. Primam hanc oraculi & divini decreti partem sapientissimus Moses admodum circumspete laudatis concisis & memorabilibus expressit verbis: *Quoniam scopus & consilium Mosis*, ut in cæteris, gentem Israëliticam sui commonefacere officii, eam in omni vitæ genere ad diuinam invitare providentiam, adeoque & decentissimum demonstrare conjugalis societatis fontem & benignissimum principium, pro illustranda ejus dignitate integritateque: Suavi scil. laboris confortio jugalem excellere societatem. Quandoquidem enim gens Israëlitica ex Ægypti voluptate in desertum indecentes advixerat mores, suas conjuges, vel optimas jugales, nisi voluptati quoctunque modo satisfacerent, sive ex ætate, sive mutata forma, sive affectu quoctunque modo alienato, do-

mo



mo citra prægnantem causam mittere, vinculo temere soluto, pro libidinosa in populo divertii intempestivi consuetudine: *Ancipites* hosce *plebis Judaicæ* mores oraculo divino in exemplo Adami more suo reprehendit *Moses acerrimus boni ordinis vindictæ*: Quod ad connubii Adamitici societatem faventissima fuerit ansa, *domesticæ curæ partitio*, quod opus habuerit socia ad labores ferendos & res conservandas: Nefas proinde esse, pro divini primi oraculi tenore, molle consociationis vinculum temere solvere, ac blandam conjugalem pro arbitrio domo mittere, si suum illa præstet officium, operarum nimirum particeps, & rei familiari conservandæ addicta, tametsi alias mariti voluptati & affectui respondere non videatur.

Memorabile igitur hoc & favorable *conjugii* fundamentum, ex divino oraculo & decreto, pro necessaria laboris ac sollicitudinis communitate, propositionis instar præmittit Moses. Idque arduum & *blandissimum* momentum altera divini oraculi & decreti parte illustrat amplius, divino ore: *Faciam illi auxilium, quod illi sit præsto.* Qui luculentissimus & penetrantissimus, sed & blandissimus

mus in priora verba est commentarius. Di-  
 xerat Moses: Divinam providentiam anim-  
 adverteisse, uni Adamo laborem omnē im-  
 positum pro tantæ rei familiaris cura susti-  
 nenda nimis fore molestum, & Adamum  
 solum ei fore imparem. Addit nunc Moses  
 pro isthac providentia divina *divinum quo-*  
*que de auxilio parando decretum* Id quod  
 tam concisum, sed & tam manifestum &  
 planum, ut omnium sensibus & judicio sit  
 expositum: Nimirum pro cœlesti decreto  
 sociam Adamo benigne destinatam esse, di-  
 viso inter eos labore demandato ac conser-  
 vandarum rerum studio. *Auxilium*, mitissi-  
 mo & desideratissimo nomine, appellat  
 Deus auxiliatricem manum, devinctissi-  
 mam conjugem, *dulcissimam curarum & fa-*  
*miliaris reisociam* Neque vero satis fuit divi-  
 nae menti, qualecunque vocasse auxilium,  
 quod viro varium contingere alioquin pos-  
 sit, sed admodum sollicite singularem *tener-*  
*rimi affectus & delicatam addit determinatio-*  
*nem*: Tale auxilium, *quod vere semper viro*  
*sit præsto, in opere & amplarei conservandæ*  
*cura*. Hæc, inquit Moses, est cœlesti decreto  
 immota conjugalis societatis basis, *dulcissi-*  
*mum familiare auxilium*, quo obtento, res  
 dome-

domestica & familiaris, viri curæ commissa,  
integra maneat & salva.

Cæterum hoc oraculum de necessitate so-  
dalis Adamo jungendæ, pro laborum levami-  
ne & conservandæ rei adjumento, ut & de-  
cretum, de tali jugali Adamo concilianda atque  
associanda, est generale: Nec modus Ada-  
mo tunc denunciatus talem obtinendi,  
nec definita adhuc aut demonstrata, quæ  
in amicam societatem allicienda. Quoniam  
igitur *Moses*, sagacissimus Israeliticæ gen-  
tis legislator, severissimus morum censor,  
& virtutis restaurator solertissimus, summo  
hoc ubique agit studio, ut *Israeliticum populum*,  
*ab inconditis gentium vicinarum, idolis dedita-  
rum, moribus avocet atque abstrahat*: Ab o-  
raculo isthuc & decreto divino, de necessa-  
ria jugali paranda, ad describendum modum  
pergit, quo *Adamum* illam quidem sollicite  
& solerter quæsi-visse, sed neutiquam tali via  
obtineri, prudentissime *judicasse*, perele-  
ganter pingit.

Cui vero ignotum, Mosen, in *Israelita-  
rum vitam bene recteque instruendam summa  
sollicitudine invigilantem, conjugij inter  
Israelitas, præ ceteris vitae negotiis feliciter  
formandi curam mille modis gessisse, & re-  
gulis*

gulis infinitis uberrime expressisse? In quibus, exempli numero, quod toties solertissimo studio caverit circumspetissimus legislator, ne Israelitæ cum barbaris populis Cananæis, vel vicinis irreligiosis gentilibus, qui cum brutis pari passu ambularent, affinitatem contraherent, uxores inde sibi neutquam adscicerent, ad tranquillitatem vitae inter Israelitas parandam nihil allataras, quin damno & exitio futuras, quippe quæ, ob idolorum cultum, & mores ab Israelis republica plane alienos, animos Israelitarum à vero Deo ad idola facile essent pellecturæ. Tanta, & inexplicabili sollicitudine, ab inconditis gentium moribus quibuscunq; in hoc vitæ genere Israëlitæ abstrahere & absterrere annis & hic, attentissimus ac divinissimus Moses. Erat nempe hujus ætate foedissimus & turpissimus, non solum inter subjugandos Cananæos sed & vicinos plus quam barbaros & inrunitos ac brutales populos, vere ferus mos, contrahumanam indolem, foedæ libidini explendæ mancipatus, insulorum brutorum more inventus, cum brutis consuecere, eisque omnis generis, pro cujusque hominis-brutiferali & impetuosa, non venere, sed libidine aut

ne aut furore. Infeceratque pestilentissimum hoc virus non solum horridas ac barbaras gentes, sed & æstuantem populum Judaicum in deserto palantem, ac contra naturæ indulgentiam, vicinorum scelera temerario ausu æmulantem. De foedis istis & nefandis Orientalium gentium crimini- bus, in bruta exardescendi, non est quod quippiam dicere oporteat, partim quod res sit omni turpitudine turpior, & honestam fugiat orationem, partim quod historico- rum Commentarii his fordibus nimium quantum sint maculati. Cananæos saltem, populo Judaico in deserto degenti vicinos, ut obiter attingamus, memorat ipse Moses, divino oraculo, eos & ob hanc rationem se- dibus excuti & justo judicio divino extir- pari, quod coecæ & immoderatae apud illos libidinis æstus non solum in illicitos ince- stus, sed & turpissimam brutorum consue- tudinem exarserit. Temerariam, spurcam, & lutosam apud Israëlitas æmulationem, qui nec a brutis, gentilium more, in deserto abstinerent, nec suo corpori nec sanitati nec rationi parcerent, naturæ inimici, mul- tis legibus publicis vehementer detestatus in deserto Moses, Ex. 20, 15. Lev. 20, 15, 16.  
qui-

quibus supplicia dictaret, inhumanis criminibus apta & digna. Quippe quos turpes homines, nec homines, sed pecudes, aut brutis deteriores, vita & societate humana indignos, vita privandos ediceret, nec nisi lapidum fulminibus aut incendio vivorum istorum corporum ac cineribus ipsorum horrenda & abominanda scelera aboleri, aut publicam vindictam expiari posse, nostratum civilium legum exemplo, palam decerneret. Quod igitur sanguinis venenum & inextinguibilis æstus in bruta sæviens, non nisi lapidum mole aut flammis tolli vel sedari possit, sicuti omnis quoque posteritas plus quam brutis hisce publicam destinavit flamمام, quæ tam infandam libidinem & foedam aliorum æmulationem extingueret atque absorberet: Hinc Moses, quando in descriptione necessarii Adamo conjugii, divini oraculi præsidio pronunciaverat, commercium viri cum alia, ad amœnam potissimum familiaris curæ societatem tendere, non in voluptatis solius usum: Nobilem illam & momentosam conjugalis ab Adamo quæsitæ historiam acer morum vindex ita temperat, ac modestissime instruit, ut ad severum religiosissimum

num ipsius *Adami* *judicium* provocet , qui  
 hoc genus commercii cum brutis homine  
 indignum , & naturæ adversum, fœdumq;;  
 infandis morbis obnoxium, pro summa sua  
 sapientia judicaverit. Quod tanto diligen-  
 tius agit *Moses* , strenuus virtutis assertor,  
 quanto penetrantius Israélitæ *Adami*  
*exemplum* moverentur ac jure caveren-  
 tur. Idcirco isto modo , post decretum  
 divinum de socia Adamo jungenda, *sollici-  
 tudinem* *Adami* , divinitus injunctam, castissi-  
 simo pro more stylo pingit argutissimus  
*Moses* , ut demonstret, Adamum diu mul-  
 tumq; in omni viventium genere circum-  
 spicere jussum , num quæ in societatem ad-  
 vocari posset ; Ut ipsem deprehenderet  
 atque clare animadverteret , nullam plane  
 cum ullo bruto familiarem consuetudinem  
 naturæ humanæ esse convenientem , &  
 pro levanda ac conservanda re familiari so-  
 ciā ex ista turba allici atque evocari nullo  
 modo posse. Hoc itaque *Adami*, divino ora-  
 culo *ab ipsomet prudentissimo Adamo expecta-  
 tum* *judicium* , de ineptissima & inconveni-  
 entissima cum brutis consuetudine , quæ  
 ad societatem levandam , remque familia-  
 rem melius administrandam aut tuendam  
 nullatenus quadret , admodum scite & or-

nate pingit elegantissimus scriptor divinus, v. 19. 20. Cum de Adami socia appara-  
nda ageretur jam crea-verat, inquit, *Deus ex terra omnia bruta omnisque generis volu-  
cres. Ea ergo in Adami oculos incurrere jussit,*  
effecitque, ut omnia extra se animalia, ubi-  
cunque degeret obvia, adspiceret. Animum  
Adami, inquit Moses, movit Deus, ut in  
quæcunque passim incideret animalia, ubi-  
cunque commearet in illis regionibus, at-  
tente contemplaretur, num quod in illis a-  
nimalibus, quod divino indultu in sociam  
advocare, sibiique jungere posset. Sistit ita-  
que circumspectissimus Moses oculatissi-  
mum Adamum, omnium generum terre-  
stria & volatilia animantia, ubicunq; obvi-  
am venirent, spectantem, atque de jugali  
ex illis advocanda dispicientem. Meminit-  
que studiō Moses, primo terrestrium, dein  
& volatilium: Ut nullum extra hominem  
obvium animale exclusum quis putet, maxi-  
me cum gentes nunc his nunc illis fæde  
abuterentur.

Idque divino instinctu imperatum Adamo  
studium, curate in omni brutorum genere dispi-  
ciendi, an ullum in illis, quod in laborum cura-  
rumque domesticarum, rerumque conservan-  
darum

*darum societatem vocari posset, Moses admodum eleganter & per quam clare his exprimit verbis: Contemplatus bruta divitio nuntu Adam, ut dispiceret, num quod illorum advocaret pro auxilio desiderato, aut ad se proficia adscisceret, sibiq; pro adjutrice jungeret.*

Neque adeo his verbis, *quodnam illorum vocaret, jactatum Adami designatur negotium, nomina omnibus bestiis & volucribus dandi, & quidem ut vulgus sibi persuadet absque ratione, pro natura & ratione cuiusvis bruti.* Neque enim scopus historiæ ullo id fert modo, quando *de blandissima Adamis socia querenda sermo est, non de brutis appellandis, & nominibus quibusdam insigniendis.* Profecto, uti à scopo hoc Moses plane alienum, ita absolum negotium, & Adamo minus congruum. *Cui enim fini aut usui nomina daret brutis & volucribus, cum nullus tunc hominum existeret, praeter unum Adamum, qui audiret.* Dei alia ratio, qui nomina rebus dedisse commemoratur, de quo differendi locus hic non est. Nec sane brutis aut volucribus hic Adami labor commodo cessit nec Adamo honori. Bruta, ut obviam facta, abidere; aves praeter volarunt, ut vel per totam vitam amplius

nullas illarum conspiceret. Quid igitur in-  
anis illa & horaria denominatio? In ventum  
& aerem? Ergone alia in creaturis Dei non  
erant observanda, quam quibus titulis or-  
naret bruta? Hæccine vero digna, quæ Mo-  
ses inter omnes Adami actiones nice  
commemoraret? Nihilne amplius de Deo,  
Dei majestate, Dei potentia, Dei voluntate?  
Ergone non infinitæ aliæ res creatæ digni-  
ores, quæ nominibus insignirentur? Et, si  
bruta & aves nominibus suis ornanda fue-  
runt, cur non & pisces? Cur non & innume-  
ra & prægrandia corpora marina, terrestri-  
bus ampliora atque spectabiliora, suis con-  
decoraret nominibus? Aut hæc illis infe-  
riora? Et si illorum nomina ab Adamo, unde  
piscium & monstrorum marinorum, quæ  
apud Hebræos supersunt? Ab aliis? Cur non  
æque ab Adamo? Et si ab Adamo, cur non  
horum etiam meminit Moses? Infelicior  
Adamus his quam ipsis denominandis? Sa-  
ne uti brutorum cognominatio nec digni-  
tatem Adamo nec venerationem parere  
potuit, ita prudentior Moses, quam ut u-  
num hoc tenue ex omnibus negotiis A-  
dami recenseret: Cum verosimile utique,  
Adamum, pro connata sapientia, divina &

cœ-

cœlestia celsiora opera , vel & in terris mil-  
 lena elegantissimarum plantarum & nobi-  
 lissimarum arborum genera , singulis mo-  
 mentis oculis manibusq; obvia , contem-  
 platum , si nomina danda nominaturum :  
 Mosenq; absq; dubio & hunc Adami mul-  
 to præclariorem laborem commemoratu-  
 rum. Neque adeo vel scopus Mosis vel rei  
 dignitas fert, ut, extra orbitas, hujus operæ  
 Adami , si quæ fuit , hic meminerit Moses.  
 Ut dissimulem , quod quisque videt , quam  
 incongruum , quod vulgus Judæorum ani-  
 mo concepit & somniat , hoc Adami nego-  
 tium , omnibus orbis animalibus , mansue-  
 tis , feris , omnibus volucribus , nomina im-  
 ponendi. Ergone ad Adamum omnia vo-  
 latilia , maxima , minima , innumera , quibus  
 aer per totum orbem repletus , advolarunt ?  
 Quæ in sylvis degant densis & conspectum  
 fugiant ? Ex angulis Europæ , ex insulis &  
 montibus Asiae , ex sylvis Africæ & Ameri-  
 cæ ? Quanta hic avium & volucrum nubes ?  
 An omnes simul ex tam remotis orbibus  
 ad Adamum festinarunt ? An ordine aliquo ?  
 Et quo ? Et unde illis constitit ordo ? Quam  
 diu hæc volueria coram Adamo substite-  
 runt , ut naturam cuiuslibet examinaret &

apto exprimeret nomine ? Unde illis innotuit volucribus , quando iterum esset avolandum, nomine impetrato? Abegit illa vel volare jussit Adam ? Quot anni insumpti vel volatilibus omnibus totius orbis spectandis, quorum aliqua tam exilia, ut visum pene fugiant, nec obiter, sed ita ut naturam penetraret ? Hæc sine spectacula digniora Evæ fuissent præsentia ? Quæ elegantissimarum avicularum myriades non sine voluptate simul fuisset contemplata, vel & in dolem observasset , nomenq; aliquibus decens & elegans dedisset. Et tanta illa absente ? Par ratio pecudum, jumentorum, ferarum, sine numero. Illane ex abstrusis orbium remotissimorum antris , ex tenebrisco- sis lustris, ex invisis & impenetrabilibus Asiae, Africæ & Americæ sylvis, ex montium jugis & cavernis , ex profundissimis terræ latibus, ad Adamum uno in loco in horum accurrerunt ? Quot & quanti hi exercitus ? Et pro solo nomine indipiscendo ? Quantus labor, & quod temporis intervalum ? Et Eva iterum absente ? Quæ sane animalium conspectum non fugisset, Adamo præsente. Nihil horum apud Mosen, ad quæ nec mens nec sententia collimaret.

Quæ-

Quæcunque cbviam venirent Adamo bruta, terrestria aut volatilia, in illis regionibus decentia, spectasse fertur, & eo quidem fine in his circumspexisse, ut animadverteret, num quod inter hæc, quod auxilio sibi esse quotidiano posset, quod in contubernium adscisceret, ejusque adjumento tutò nitetur. Locutio Mosis generalis, pro scopo & contextu explicanda.

Scopus erat, Adamo divinitus destinatam fuisse sociam: Dispiciendum itaque fuisse Adamo de aliqua, si quæ in omni animantium genere daretur, quæ in societatem adscisci posset. Sollicitum sic hac de re Adamum qvando religiosissimus sicut Moses, alterum quoque vulgi apud idololatricas gentes receptum scrupulum pro celso suo judicio apposite & per quam scite eximit. Erant nimis gentiles, uti in Ægypto, ita & in Arabia, Sabæa, cæterisque regionibus finitimi, plebejis turpiter fascinati traditiunculis, de occulto familiari & benigno animarum defunditorum, utriusque generis, ac familiarium dæmonum, cum homine commercio, tum quoad laborum & negotiorum auxilium, tum veneris usum. Quibus adeo gentiles sua offerrent sacrificia, idololatriæ

mancipia. Sicuti & Judæorum libri in hunc usque diem lepidis referti traditiunculis de Lilith , prima Adami venditata uxore , ex terra creata , quæ, cum in Adamum frustra quæsivisset imperium,aufugerit, hodieque lactantibus noctu sit molesta. Quam stri-  
gem vocant gentiles. Qualium nugarum, de advocandis in subsidium animabus & dæmonibus , oriens & crassiores hodie Cabbalistæ grandium voluminum mole pleni. Nec sagæ nec magi ab illa arctiore, voluptuosa etiam, defunctorum & faventium dæmonum , impura quoque consuetudine se alienos in hunc usque diem profitentur, qualibus narratiunculis examina illorum scatent. Quorum acciendorum defunctorum auxilium & familiaris dæmonum usus, gentilibus frequentatus, ab humano genere alienus , uti alias cum sacrificiis illis oblatis a Mose passim damnatur, Lev.17,7. Deut.32, 7 Exod 22,17. Lev.19,31. 20, 6. 27. ita & hic à sagacissimo scriptore divino in exemplo Adami repudiatur : Adamum , cum de auxilio , pro re familiari paranda & conservanda,quærendo, sollicitus divino esse jussu debuerit, non nisi inter animantia viventia, circumspicere jussum,  
neque

neque ex ullo alio genere auxilium pro sociate sibi evocaturum Adamum , præterquam ex illis, quæ animantium viventiumq; nomen cum ipso Adamo ferrent , ex quorum consortio vita & fortuna vitae serena porro pararetur, exclusis defunctorum animabus & dæmonibus advocandis , in quos pro blanda & humana societate instituenda & auxilio quærendo nec respicere integrum.

Nemo proinde, scopi memor, tam insulsus fuerit, qui vel autumaverit vel venditaverit, illis Mosen verbis significare , Adamum omnia bruta terrestria & volatilia appellasse *animal vivum*, sive unum illud ab Adamo omnibus datum fuisse nomen. Quid hoc singulare , & cui usui vel fini referret Moses , qui alia profecto majoris habuisset momenti. Imo, ne ullo quidem colore Adamo hic tribuitur hoc brutis datum nomen, quin contrariū affirmatur : Quodcunque vocaret aut vocaturus esset Adam pro auxilio, jam ante nomen habuisse *vivum animalis*, Gen.I,20.21.24.25. cap.II,7. Sensus omnino Mosis est : Quodcunq; ad se evocandum constitueret Adam, pro adsciscendo amabili adjutorio, auxiliove vitae & fortunæ, *animal* erat, non ferendum nisi nomine

ne animalis vivi , non animæ defunctæ,  
non immritis dæmonis, idololatrarum gen-  
tium more & sententiâ.

Ita Moses , servandi in populo decoris  
studiosissimus, haec tenus v. 19. consilium Dei  
enarravit, pro foedis Israelitarum moribus  
declinandis ac repudiandis , sive cum bru-  
tis sive cum defunctis dæmonibusque so-  
cietatem ineundi , quæ utraq; ad auxilium  
societatemq; humanam pro domesticis re-  
bus conficiendis conservandisq; sint in-  
eptissima : Scil. Adamum fuisse jussum di-  
spicere inter viva animantia , quomodo-  
cunq; illa vocarentur aut nominarentur,  
num quod in illis deprehenderet , quod in  
ipsius auxilium adscisci posset. Subjungit  
nunc Moses v. 20. *Adami factum & obsequiu-*  
*um, pro divino isthuc imperio aut instinctu.*  
Obsecutus Adam, circumspexit in omni a-  
nimalium genere, quocunque ferantur no-  
mine, an eligi ex illis apta posset vitæ &  
laborum socia seu jugalis. *Nominatim, si ve si-*  
*gillatim, ob-via omnis generis animantia per-*  
*censuit, si ve domestica essent jumenta & cicu-*  
*ria, si ve volucres, si ve bestiæ agri aut feræ*  
*quæcunque. Omnia, inquit Moses, viva ani-*  
*mantia, quocunq; veniant nomine, attente*  
con-

consideravit & expendit sedulo, pro divino  
nutu & instinctu ipse met ingenue judica-  
turus, an aliquod illorum esset, quod ad au-  
xilium desideratum societatemque ineun-  
dam, alendam, remque familiarem conser-  
vandam facere posset. Pingiturq; Adam,  
seriem quasi omnium animantium obvio-  
rum curate & plus simplici vice pertexens,  
ut pote quæ oculis suis usurparet, coram  
observaturus, an ad scopum aliquod illo-  
rum pertineret. Quæ Adami sollicitudo  
exemplo sistitur Israelitis, qui non impru-  
dentiores Adamo, temere in bruta ruere  
desisterent, & a foedo illorum abusu cum  
horrore abstinerent, nec humanum auxi-  
lium inhumano more ab inhumanis expe-  
ctarent.

Quo fine ipsummet Adami judicium tan-  
dem à Mose gravissimo morum censure  
claris subiectitur verbis: *Atque ita, inquit,*  
*postquam diu satis multumq; in brutorum*  
*& ferarum volucrumq; gregibus de socia*  
*cautus circumspicerat Adam, pro Adamo*  
*non invenit auxilium, & tale quidem, quod*  
*præsto illi semper esset, seu jugalem. Quæ di-*  
*ferta Mosis conclusio, de non inventa ab A-*  
*damo ex brutis jugali & laborum humano-*  
*rum*

rum socia, exacte respondet superiori *Mosis propositioni* & divino oraculo, de necessaria Adamo, eaque propter quærenda ac comparanda aliqua conjugali. Quæsivit, inquit, inter animalia, non invenit. Qui non invenisse dicitur, cum necessariam judicaret, quæsivit, maxime, cum querere juberetur. Quæ causa est, quare Moses his tandem subjungat, in brutis quæsitæ, nec haec tenus ab Adamo inventæ, conjugis & sodalis, veræ & naturæ humanæ debitæ atque congruæ originem, initamque cum ea bomine dignam benignissimam ac benevolentissimam societatem, y. 21. s. q. Quadere nunc nobis non est sermo. Sufficit, Adamum isthac vera conjugæ reperta summo gaudio in hæc erupisse verba: Nunc tandem in hac Eva deprehendo os ex osibus meis, & carnem ex carne mea, sive jugalem, humanam, homini congruam, ejusdem naturæ atque indolis, quam diu quæsivisset, & frustra haec tenus expectasset. Quo pacto *historia hæc Mosaica penetrans* tissimum ad virtutem, honestatem, decentesque *mores calcar* est, luculentissima pro conjugali societate apologia, cuius dignitatem evheret excellenter.

Viden, Clarissime Vir, Mosis scopum & orationis filum, & ab oculatioribus Judæis cum perspicaci Abarbanele nobiscum faciente, agnatum & laudatum. Absque Mosis scopo, quem in scribendo sibi habuit præfixum *acutissimus scriptor diuinus*, absque illius consilio, quare hæc, illa, ista, hoc, illo, isto modo expresserit, *omnibus Catonibus severior integritatis vindex*, nihil in Fontibus pervidetur. Quemadmodum plerique interpretes, qui ex Lexicis pendent, animo, affectuque, & consilio Autoris neglecto, à scopo longissime aberrant, sive in Mose, sive in cæteris autoribus sacris. Tute cautior, qui in rebus istis antiquis scrutandis non in cortice hæres, sed animum in divino scriptore penetras, petus scindis, cordis penetralia inspicis, consilium scribendi attendis. Quo pacto nihil horum te fugit, quæ profundissime sepulta videbantur. Vale, Philologorum decus, & quos præclare calles, Fontium sacrorum luci feliciter vive.

Helmst. d. 24. Jan. 1705.

• (o) •

Abar-

# Abarbanelis

## acutissimi Judæorum interpretis Commentariolus in Gen. II, 19. 20,



כט. פירוט כתובה

בענור צלען מהר מכחוב חה זס יקלת לן וווען מהר נס כן וכל זס  
אצל יקירה לו סולס כ' פלאט מסמוקיס האלה בזעטן קהיל נס כן וווען  
טהר האס זס אס יקיט לאפרמו ווילרכ לטעמו ב' גטתי יילבר  
יזה שאוח כמושנו ווועטן קהיל קהיריות צהוועו אצל קיל ווילרכ טיגו  
וכתוויס זל' גט לחשס היל זדריל אטן ערוכ אטן שאוח חיינו וווען  
הארו וויל אצל יקלת לו האלטס נפצע חיט הווע צאו ל' גט אטן זבחל  
צחכליין פדועה לו. וכמה אטס קיל צאות לכל בעטן קיס וויכי  
טבעיס אטן גט ראה נאס נקבה נעהה לפלועה עריא וווען עריא  
וועודם גט ער פנדזוי כי פלחיות ווועט לאל אטן גט נחר גט  
קחריות כט' ק. ווילס כווענו ח' גט נערוואס זטט אלה עט כל קיט וווען  
ווען מתקראלה דעתו גטס כלוחר גטן לדעתו ווילונגונטו על טבעיסס  
וילקוויטס גט מתקראלה דעתו אס' זווננו ווילונגונטו כחנוו וווען  
וכלי כט' גט נקונטייס ווילונגונטו אפניא הנטראת הוליך יט' גטוניא גט  
ההען מילגען ווילונגונטו:

# Commentario in Legem,

## f. 28. c. 2. init.

**Q**uoniam Moses non dicit v. 19. Quo nomine vocaret illud: Neque porro ait: **Quodcunq;** nomen, quo vocaret illud **Adam:** Pari jure aliter totam illam Mosis orationem atq; vulgo explicabimus. Scil. Divinum hoc fuisse oraculum: Si **Adam in sociam ad-vocaret, sibique adscisceret, animal ratione carens, nihil aliud hoc fore, quam simili- ter obbrutescere, æque ac illa bestia, quam ad-vocaret sibique jungeret.** Quo fere sensu proverbiali dixere Veteres: **Sturnus non sine causa sectatur corvos, cum similis sit generis.** Quo tendit porro Moses, **Quodcunque, inquiens, animal ad-vocatus ad sé esset Adam, sui debebat esse nominis, scil. Adami seu hominis, quod eligeret sibi pro socia, sibi quippe simile.** Proindeque, edicente Mose, v. 20. **Adam nominatim omnes accersivit bestias, & naturam earum attendit, veruntamen nec dum femellam in illis deprehendit aptam, quam sibi associaret.** Huc spectat Moses, dicens: **Pro Adamo non in-venit auxilium, quod**

*quod ipsi esset simile.* Cum enim sanam suam sequeretur rationem, non placuit illi ferina indoles. In hunc omnino sensum abeunt veterum Sapientes, quando memorant, *Adamum ad quamlibet bestiam & volucrem accessisse, ast in illarum nulla animum acquieuisse.* Quorum haec est sententia: Quod animo menteque sua curate volverit omnium bestiarum indolem ac conditionem, attamen in harum nulla animum ejus acquiescere potuisse, ut tale admitteret consortium, quali brutorum mares cum suis femellis uterentur. Hoc igitur facto, cum Adamus, rem ita se habere non posse in humana societate, animadvertisset, motus Deus, ut uxorem ex costa & carne ejus produceret.



VII

non procul ab eis. Non mori, nati vellet. Ma-  
 rita, et amata. Unde oportet ad misericordia  
 hominis. Iustus interierit. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. I. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. II. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. III. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. IV. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. V. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. VI. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. VII. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. VIII. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur  
 sicut natus deo. Quis est deus qui exaltet  
 eum? Intra, sicut ille, non regni imp. IX. Cuius  
 gloriatur? Natus enim deo. Deo. Gloriatur

C. G. v. b. h. D. F. C. P. C. A.  
A. C. v. A. C. A. C. A.







Gf 2494



nicht verknipft



B.I.G.



2.  
Fd 1690 a  
HERMANNI von der Hardt

*Ad Clarissimum Virum*

**PAVLVM MARTINVM  
NOLTENIVM,**

Poetam Laureatum Cæsareum,  
Philologum insignem,

*In Mosis*

Severissimi morum censoris  
historiam

*Genes. II, 18. 19. 20.*

De vocatis ab Adamo animalibus,  
in Bochartum

**E P I S T O L A.**

Editio secunda.

---

*HELMSTADI,*

Typis Georg. Wolfg. Hammii Acad. Typogr.  
A. M DCCV.